

gando; tum quia saltem non est necessarium aliud tunc occurrere; tum denique quia etiam ad illud aliud implendum necessarium erit divinum auxilium sufficiens, et redibit quæstio cur non etiam detur efficax. Vel illud præceptum est ipsummet præceptum fidei, et sic impossibile est quod transgressio ejusdem præcepti sit ratio ob quam negatur auxilium efficax, ad implendum illud ipsum præceptum. Nam transgressio illa supponit carentiam auxilii efficacis prædeterminantis; quomodo ergo potest esse ratio talis carentiæ? Sive enim illa culpa dicatur esse in ipsa incredulitate, sive in omissione dispositionis necessariae ad auxilium efficax credendi, si illa dispositio solum est necessaria ex vi præcepti fidei ad auxilium efficax necessarium ad illam, pertinet ad auxilium efficax ad credendum; et de illo redibit quæstio cur non detur, quia hæc negatio non potest fundari in carentia talis dispositionis. Unde oportebit vel ad illam dispositionem postulare aliam, et sic abire in infinitum, vel sistere in auxilio efficaci, quod Deus sua sola voluntate det ac denegat; quod destruit sufficientiam gratiæ, et repugnat dictæ solutioni.

*Aliud incommodum quod ex præcedenti sententia sequitur.* — Aliud incommodum quod ex illa sententia sequitur, est dari aliquem actum minus perfectum contritione, ad quam infallibiliter consequatur contritio et gratia justificans, et sine quo non dabitur ad hæc auxilium efficax, quod non videtur admittendum.

Sequela probatur, nam juxta illam sententiam, si peccator a Deo vocatus ad pœnitentiam bene utatur præveniente ac sufficiente auxilio, infallibiliter obtinebit auxilium efficax ad contritionem; si vero non bene utatur sufficienti auxilio, non dabitur illi efficax; ergo ille bonus usus prævenientis auxilii, cum sit positivus, necessario est per aliquem bonum actum priorem contritione, et consequenter minus perfectum quam sit illa. Posito autem illo actu, dicitur infallibiliter dari auxilium efficax ad contritionem, et ex hoc auxilio infallibiliter sequitur contritio; ergo de primo ad ultimum ille prior actus minus perfectus contritione est ultima dispositio ad contritionem, quia perinde est esse ultimam dispositionem ad auxilium efficax contritionis, et ad contritionem ipsam. Quomodo enim dat Deus contritionem, nisi dando auxilium efficax ad illam? In hac autem materia nihil aliud est esse ultimam dispositionem, quam esse actum, se-

cundum legem ordinariam, ita necessarium ad aliud donum, ut illo actu posito infallibiliter conferatur tale donum, et non alias; ita autem comparatur ille bonus usus ad contritionem, juxta hanc sententiam. Hoc autem consequens esse absurdum patet, quia si ille bonus usus est naturalis, Pelagianum est dicere quod sit dispositio necessaria aut sufficiens ad contritionem. Si vero sit supernaturalis, nulla potest ostendi lex quæ obliget ad præmittendum talem bonum usum ante contritionem; nam peccator, vocatus sufficienter ad pœnitentiam, perfectam potest immediate elicere contritionem, sine alio imperfecto usu prævio; ergo falso dicitur talem usum esse necessarium secundum legem ordinariam ad auxilium efficax contritionis.

Et ulterius, dato tali bono usu imperfecto auxilii prævenientis, nulla ostendi potest promissio Dei dandi statim auxilium efficax ad contritionem. Nam, licet credibile sit ei qui bene utitur auxilio minori, dari aliquod majus, tamen, quod illud majus ex certa lege ac promissione sit determinatio physica ad contritionem, vel etiam quod necessario sit vocatio congrua immediata ad istam contritionem, nullo fundamento dici potest, nec videtur probabile. Quod declaro interrogando quisnam sit ille bonus usus prævenientis auxilii. Necessario enim est actus fidei, spei, timoris, attritionis, vel alius similis; quid enim aliud esse potest? At ex nullo istorum actuum minus perfectus sequitur infallibiliter vel ulterior actus perfectior, vel auxilium efficax ad illum (quod perinde est), nam posita fide et spe, potest homo non timere, et posita attritione quæ videtur actus propinquissimus contritioni, non sequitur infallibiliter auxilium efficax ad contritionem. Alioqui omnis qui bene uteretur auxiliis prævenientibus habendo attritionem, infallibiliter consequeretur a Deo auxilium efficax ad contritionem, et consequenter contritionem ipsam, ac subinde justitiam et peccati remissionem, quod plane fateri videtur loco citato, pag. 55 et 71, dicens: *Qui lethali culpæ subjacet si bene sufficienti utatur auxilio, præsto ei aderit auxilium efficax et cum eo gratia justificans.* At si hoc ita est, quid deest illi bono usui prævio, quominus sit ultima dispositio ad gratiam, quandoquidem illo posito infallibiliter sequitur et gratia ipsa, et quidquid ad illam necessarium est? Item Concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 4, ad summum docet hominem per attritionem disponi ad impetrandam gratiam in sacra-

mento; supponens (quod omnes Theologi pro indubitato habent) hominem attritum extra sacramentum manere tantum attritum et in peccato; ergo non omnis qui bene utitur auxilio sufficienti ad attritionem, statim recipit auxilium efficax ad contritionem. Imo, ut probabilior fert sententia, etiam in ipso sacramento non necessario fit homo contritus, eliciendo proprium actum contritionis vel recipiendo auxilium efficax ad illum, sed per solam informationem gratiæ habitualis quam Sacramentum confert ex opere operato. Quod si bonus usus prævenientis auxilii, qui est per attritionem, non affert secum infallibiliter auxilium efficax ad contritionem, quis alius usus excogitari potest, qui vim habeat talis dispositionis, cum omnis talis actus maneat intra latitudinem remotarum dispositionum, et inter remotas dispositiones nulla sit propinquior contritioni quam attritio? In prima etiam sufficienti vocatione ad fidem inexplicabile est quænam dispositio libera antecedere debeat ut ex ea infallibiliter sequatur auxilium efficax ad volendum credere, et ad credendum. Nulla ergo ratione intelligi aut credi potest quod tale auxilium efficax, seu prædeterminatio physica in se non libera, sed ab alio recepta, sit in potestate hominis ratione alicujus positivæ dispositionis liberæ, ad quam tale auxilium infallibiliter consequatur. Superest ut de dispositione negativa seu privativa videamus, quod capite sequenti præstabitur.

## CAPUT XVIII.

EFFICAX AUXILIUM NEC DARI EX NEGATIVA  
DISPOSITIONE LIBERA.

*Opinio adversariorum.* — Est alter dicendi modus qui hoc auxilium ponit in potestate hominis, ratione alicujus liberæ dispositionis negativæ, quam liberum auxilium ex se, sine novo auxilio gratiæ habere potest. Ponitur enim talis dispositio libera ut ratione illius determinatio illa, et quidquid ex illa sequitur, libera esse possint; negativa autem ponitur, ut ad illam non sit necessarium illud auxilium efficax, nam hoc solum est necessarium ad positivum usum, et ita cessent processus et discursus facti contra præcedentem sententiam. Hanc opinionem insinuerant nonnulli ex prioribus defensoribus physiciæ prædeterminationis, illam tamen liberius tradidit atque explanavit P. Cabrera, disp. 2, § 11, n. 264 et sequentibus, dicens: *Auxilium ef-*

*ficax supponit dispositionem negativam voluntatis, quam dispositionem, inquit, ex se inchoat voluntas. Neque est inconveniens concedere, ex naturali usu libertatis negativæ pendere, quod homini detur physica prædeterminatio, et efficax auxilium;* et hac ratione ait inferius, *auxilium efficax incipere a nobis dispositive, quia determinatio pendet ex libera dispositione nostræ voluntatis negativæ, licet effective (inquit) sit a solo Deo.* Et addit hanc dispositionem talem esse ut, illa posita, infallibiliter sequatur determinatio Dei, et sine illa nunquam sequatur. Ac præterea admittit hanc causalem dispositionem: *Quia voluntas se disponit (scilicet sua naturali vi) ad talem actum (etiam supernaturalem), ideo Deus per auxilium efficax ad illum eam determinat.*

*Nullo fundamento nititur prædicta opinio.* — *Duæ gravissimæ difficultates, quæ frequenter urgentur contra prædeterminationem physicam.* — Ad hanc sententiam suadendam nullum fundamentum auctor adducit, sed, coactus vi argumentorum, illam invehit ut necessariam ad evadendas illas duas gravissimas difficultates, quas frequenter urgemus contra prædeterminationem physicam, scilicet, quomodo libere operentur, qui illa recipiunt; et quomodo libere omitant, qui illam non recipiunt. Nam, licet in aliis locis aliter respondeat, in his quæ proxime retulimus necessarium putavit ut in utrisque hominibus præcedat aliquod fundamentum liberum, vel talis prædeterminationis, vel carentiæ illius. Cum autem hoc fundamentum non possit esse positivum, propter dicta contra præcedentem sententiam, recurrit ad usum negativum, seu determinari a Deo, si non resistat nec prævium impedimentum ponat. Nam constat hoc pertinere ad libertatem voluntatis, cum hæc non sit tantum ad agendum, sed etiam ad omitendum. Constat item merito postulari hanc dispositionem seu conditionem ex parte hominis, cum sit necessaria ut voluntas ejus libere a Deo moveatur. Neque denique inconveniens est talem dispositionem sine gratia et sua libertate haberi, quia non est aliquid supernaturale, cum in mera negatione consistat. Hæc fere ille.

*Subterfugium adversariorum eluditur.* — Sed profecto melius et tutius fecisset, sentiendo prædictas difficultates, ex prædeterminatione physica subortas, illis cedere, et falsitatem illius positionis confiteri, quam hoc subterfugium confingere, nam et intelligi nullo modo potest, quia in verbis tantum et non in



vero aliquo conceptu consistit, et timendum est ne, sub prætextu vitandi Pelagium, eidem incaute faveatur. Declaratur hæc posterior pars, quæ in Theologia gravior est. Primo quia, juxta hanc sententiam et responsionem, multo magis dicendum esset initium efficaciam salutis esse ex nobis; quia, posito auxilio præveniente et pure sufficiente, ex solo libero arbitrio pendet quod ei detur novum auxilium supernaturale in quo sit efficacia actus, seu initium ejus, nimirum per dispositionem præviam, quam voluntas se sola et sine speciali Dei auxilio habet.

*Objectio. — Solvitur. —* Dicitur forte hoc non esse inconueniens de initio negativo. Sed contra, quia, in rebus moralibus, magni momenti et æstimationis est negatio actus, quando libera et moralis, adeo ut sit laude digna, quando actus negatus malus est, juxta illud: *Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala, et non fecit.* Neque esset minus inconueniens dicere, posse hominem sine gratia Dei, solis viribus liberi arbitrii, vincere gravissimas tentationes per solam negationem, suspendendo nimirum malum consensum, quam per positivum actum contrarii dissensus. Quia moraliter non minus difficile est unum quam aliud; imo fortasse difficilius est resistere per solam actus suspensionem.

Secundo, sequitur ex illa sententia discretionem inter duos, quorum unus consentit et non alter, revocari ad ipsos supposita æqualitate gratiæ prævenientis, seu sufficientis, quam sæpe posse contingere illi auctores non negant. Unde illud Pauli: *Quis enim te discernit?* quod ipsi tam frequenter contra nos urgent, multo magis contra hanc sententiam procedit in illo sensu intellectam. Sequela patet, quia, cum quæritur ratio ob quam datur huic auxilium efficax, et non illi, ultima resolutio fit in solam libertatem arbitrii, per quam hic sinit se moveri, alter non sinit; jam ergo in eo qui se moveri sinit, non habet locum illud Pauli: *Quis enim te discernit?* nam qui se sinit moveri, dicit ipsummet se discernere. Item neque illud locum habet: *Quid habes quod non accepisti? aut quid gloriaris, quasi non acceperis?* nam respondere potest: Hoc ex me habeo, quod non accepi, quia non restitit, sed a divina gratia me duci permisi, de quo merito possum gloriari; nam si alius confusione dignus est, quia non se sinit determinari ad bonum, ego gloriari possum quod id præstiterim.

*Retorquentur adversariorum argumenta. —*

Similia argumenta solent isti auctores contra nos facere, sed habent hic longe diversam vim. Nos enim non condistinguimus opus cooperationis nostræ a cooperatione gratiæ, nec aliquid nostrum præcedere dicimus, sed subsequi unam gratiam, et ad summum comitari aliam, et ita optime concludimus nihil habere hominem unde gloriari possit, quod a Deo antecederet et actualiter, ac principaliter non recipiat. Ille vero auctor condistinguit id quod est nostrum, ab eo quod est Dei, et illud tribuit soli libero arbitrio sine ullo gratiæ influxu, vel cooperatione, atque illud vult esse prævium, et consequenter respectu illius gratiam efficacem esse pedissequam, et non ducem, neque comitem; merito ergo contra hanc sententiam retorquemus argumenta illa, quæ contra nostram nullam habere vim existimamus.

Nec satisfacit dicere in usu negativo hoc non esse inconueniens; nam revera est maximum, tum quia sententia Pauli in virtute est universalis negativa, hominem nihil habere non acceptum unde gloriatur; illud autem negativum, quamvis metaphysice possit dici non esse aliquid, tamen, moraliter loquendo, est aliquid magni momenti et æstimationis, ut ostensum est; tum etiam quia quando Concilia cum Augustino absolute dicunt gratiam non esse pedissequam liberi arbitrii, per liberum arbitrium intelligunt actuale usum libertatis, nihilque inter usum positivum et negativum distinguunt. Quis igitur audebit ita distinguere? Confirmatur, nam si quis nunc diceret primam vocationem, seu primum auxilium excitans dari homini ex naturali dispositione liberi arbitrii, etiam negativa, ita ut sine illa non detur, et illa posita infallibiliter detur, censeretur incidere in Semipelagianorum sententiam, tribuendo libero arbitrio initium salutis, contra Concilii Arausiacani definitionem. At multo magis est recipere auxilium efficax et determinationem ad conversionem; ergo hoc tribuere naturali usui liberi arbitrii, etiam negativo, tanquam dispositioni necessariæ sine qua non ponitur ille supernaturalis effectus, et cum qua infallibiliter ponitur, valde videtur accedere ad Pelagianam doctrinam.

Tertio, sequitur ex illa sententia dari causam aliquam prædestinationis ex parte hominis, saltem per negativam dispositionem, quod istimet auctores maxime refugiunt, et merito, ut ex propria materia nunc suppono. Sequela probatur, quia, juxta illam senten-

tiam, primus effectus gratiæ proprius prædestinati habet causam et dispositionem ex parte hominis et solius liberi arbitrii. Voco autem primum effectum proprium prædestinati gratiam efficacem quæ et operationem et perseverantiam secum infallibiliter affert. Nam, licet ante hanc gratiam, et ante omnem dispositionem ejus, etiam negativam, præcedat in prædestinato gratia excitans et sufficienter movens, tamen hæc est communis reprobis, unde per se non est ex prædestinatione; proprii ergo prædestinationis effectus videntur incipere ab illo primo, in quo distinguitur prædestinatus a reprobo; ergo si illius datur causa et dispositio ex parte hominis (ut revera datur juxta hanc sententiam) datur etiam prædestinationis. Eo vel maxime quod, licet præcedat electio ad gloriam, etiam illius electionis dabitur ratio ex parte hominis; hunc enim Deus eligit ad gloriam, quia præcivit illum sola sua libertate non restitutum sufficienti gratiæ vocanti. At hoc inconueniens est, etiamsi ratio illa seu dispositio negativa esse dicatur. Nam Paulus simpliciter dixit: *Antequam quidquam boni aut mali egissent, non ex operibus, sed ex vocante dictum est;* et illud: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei,* et similia.

*Paulus sub malo non solum comprehendit commissionem, sed omissionem. —* Nec refert quod voces illæ, *egissent, non ex operibus, non est volentis, neque currentis,* positivam actionem significare videantur, juxta regulam philosophorum moralium et Theologorum; sub similibus enim absolutis locutionibus comprehenduntur non solum actus, sed etiam liberæ ac morales negationes actuum, quia non habemus alia simplicia verba, quibus has negationes comprehendamus. Sicut in illa vulgari definitione peccati: Est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei, omnes Theologi intelligunt *dictum, vel non dictum, factum vel omissum;* sic ergo in præsentibus, cum Paulus dicit: *Antequam quidquam boni vel mali egissent,* sub distinctione mali non solum comprehendit commissionem, sed etiam omissionem. Si ergo agere bonum contingit aliquo modo per solam negationem, sinendo se duci a Deo, etiam ante hoc bonum et ante malum illi oppositum, intelligit Paulus esse electionem.

Neque aliter satisficit intentioni Pauli, nimirum, quod hæc discretio tota referatur in Dei misericordiam et gratuitam voluntatem. Nam hoc non est simpliciter verum, si voluntas

humana præcedit, et se sola est prima radix discretionis, per aliquem proprium usum suæ libertatis, suarumque naturalium virium.

Quarto, sequitur ex illa sententia gratiam adjuvantem non esse necessariam ad omnem dispositionem voluntatis, quæ ad pietatem et vitam æternam conducit ac maxime necessaria est. Nam hæc dispositio negativa sine dubio est valde conducens ad salutem, et juxta illam sententiam est necessaria, cum sine illa non possit auxilium efficax obtineri. Et licet ante illam præcedat gratia excitans, tamen ipsa dispositio habetur sine gratia adjuvante.

Unde expresse fatetur ille auctor *esse ex naturali usu libertatis,* et a voluntate ex se. Sequiturque evidenter ex suis principiis, nam gratia adjuvans non influit actu ante gratiam efficacem; hæc autem dispositio antecedit gratiam efficacem; ergo non est a gratia adjuvante. Hoc autem consequens videtur esse contra absolutas definitiones Conciliorum, quibus docemur nihil nos facere posse, conducens ad vitam æternam, et necessarium ad illam, sine adjutorio divinæ gratiæ, juxta illud verbum Christi: *Sine me nihil potestis facere.*

Neque hoc etiam eludi potest, dicendo hanc esse dispositionem negativam, quæ non consistit in agendo, sed potius in non agendo; jam enim dictum est, hoc *non agere,* morale et liberum, tanti momenti esse, ut non possit reputari nihil, sed magnum aliquid. Et revera virtualiter includit agere, quia includit, saltem virtualiter seu interpretative, positivam voluntatem non agendi, alioqui non posset illa negatio esse voluntaria, et consequenter nec libera.

Et confirmatur, quia alias sub illis Christi verbis et Conciliorum definitionibus non comprehenderetur observantia præcepti negativi, quæ formaliter est abstinere a malo, seu non offendere Deum, quia hoc, formaliter ac metaphysice loquendo (ut sic dicam), consistit in non agendo; consequens autem falsum est; unum enim ex magnis Dei adjutoriis est abstinere a peccato. Eadem autem est ratio de hac negativa dispositione, nam si aliqua ratione fingi potest utilis, solum est quia est carentia alicujus peccati; ergo comprehenditur sub illis verbis Christi, et sub Conciliorum definitionibus de necessitate gratiæ adjuvantis ad omne bonum conducens ad vitam æternam; ergo eisdem definitionibus repugnat dicere nos posse habere ex nobis talem dispositionem ad auxilium efficax gratiæ.



Nec satisfaciet qui dixerit illam dispositionem non fieri sine gratia, eo quod ante illam præcedat gratia excitans; tum quia Concilia (ut dixi) non tantum requirunt gratiam excitantem, sed etiam adjuvantem; tum etiam quia illa gratia excitans non tam videtur esse auxilium causans per se hanc dispositionem, quam occasio quædam exercendi libertatem, dum voluntas excitata, sua libertate ac naturalibus viribus recte utitur, saltem ad non resistendum. His ergo de causis videtur illa doctrina parum consentanea dogmatibus fidei Pelagii contrariis.

Hæc vero omnia procedunt ex suppositione talis dispositionis negativæ; nunc vero alteram partem ostendemus, nimirum nullam revera esse talem dispositionem, nec posse concipi. Quod ut probemus, constituemus hominem sufficienter vocatum ad fidem vel pœnitentiam, qui post sufficientem illuminationem et inspirationem pervenit ad illud instans, in quo voluntas ejus determinanda est ad volitionem credendi, vel oppositam, etc. Interrogo igitur an hæc dispositio negativa iutelligatur præcedere tempore antecedenti, et ratione illius dari hoc instanti determinationem ad voluntatem credendi, aut pœnitentiæ, an vero intelligatur præcedere tantum ordine naturæ in eodem instanti. Primum dici non potest, quia imprimis necessarium non est talem dispositionem præcedere in proximo superiori tempore, ut in hoc instanti infallibiliter sequatur determinatio ad credendum. Probatur, quia, licet homo toto illo tempore sit in peccato, etiam actuali, et obstinatus in incredulitate vel impœnitentia sua, potest in hoc instanti mutare voluntatem suam ad credendum vel pœnitendum; quia est libera et viatrix, cui auxilium Dei præsto est, præsertim cum supponatur sufficienter et actualiter excitata et vocata. Quod profecto in omni sententia facile ostendi potest, nam etiam juxta sententiam de prædeterminatione physica, dicendum est posse Deum, secundum ordinariam legem et providentiam gratiæ, illam voluntatem mutare ad credendum vel pœnitendum, quia nulla ostendi potest lex divinæ gratiæ cui hoc repugnet; neque in effectu ipso secundum se est aliqua repugnantia, ut est per se notum. Similiter, juxta nostram sententiam, potest homo sic vocatus, et obstinatus toto tempore præcedenti, in hoc instanti mutare voluntatem suam, se determinando ad fidem cum cooperatione divinæ gratiæ, quæ ex se nunquam deest, sive in eodem

instanti novus radius excitantis gratiæ præcedat, sive sola prior excitatio duret, et voluntas pro sua libertate cum illa, et cum influxu cooperantis gratiæ incipiat facere quod antea potuisset etiam efficere, sed noluerat. Totum enim hoc spectat ad veram facultatem et usum libertatis. Nulla ergo talis dispositio negativa, tempore præcedente existens, est simpliciter necessaria ad determinationem, quæ incipit in hoc instanti, quia nulla præexistens dispositio positiva contraria necessitat voluntatem, quominus in hoc instanti pro sua libertate mutet determinationem suam, suppositis aliunde auxiliis gratiæ sufficienter applicatis et præparatis.

*Nulla dispositio negativa temporis præcedentis potest esse talis, ad quam infallibiliter sequatur determinatio ad credendum vel pœnitendum.* — Addo ulterius nullam dispositionem negativam temporis præcedentis posse esse sufficientem ad hunc effectum, id est non posse esse talem, ad quam infallibiliter sequatur determinatio ad credendum vel pœnitendum in hoc instanti; et ratio est eadem, servata proportione, quia dispositio temporis præcedentis non necessitat voluntatem, quominus pro sua libertate possit illam mutare in hoc instanti, quod non solum est verum de dispositione negativa, sed etiam de positiva, non modo naturali, verum etiam supernaturali; nam qui est vocatus ad fidem vel pœnitentiam, et de illa re cogitat ac deliberat per horam, licet in toto tempore horæ nihil peccet, et ita intelligatur negative bene dispositus, quoad carentiam omnis actus mali, potest in ultimo instanti horæ non determinari ad pœnitendum vel credendum, quia integrum habet usum libertatis suæ. Quis enim illi necessitatem imposuit, si ab illo debet fieri determinatio? Vel si a solo Deo facienda sit, quis imposuit Deo necessitatem determinandi voluntatem illam ad pœnitendum vel credendum in illo instanti? aut qua lege se obligavit Deus ad id præstandum, aut ubi invenitur, aut ex quo principio colligi potest?

Unde ulterius addo, licet voluntas toto hoc tempore sit positive bene disposita supernaturalibus dispositionibus imperfectis et remotis, ex nulla illarum posse in ultimo instanti horæ infallibiliter sequi novum voluntatis actum perfectionem, vel determinationem ad illum. Quia voluntas pro sua libertate potest in priori statu persistere et nihil amplius agere; nihil enim est quod vel illam necessitet ad progrediendum, vel Deum ad determi-

nandam illam. Unde, licet voluntas vocata ad pœnitentiam se exerceat per horam in actu attritionis, non propterea in instanti terminativo horæ elevabitur ad actum contritionis; et idem est de quibuscumque aliis similibus actibus, et cujuscumque temporis duratione, quia neque ex natura rei est necessaria consecutio, neque ex aliqua lege Dei; imo etiam potest voluntas retrocedere, nam quæ erat proximo tempore præcedente bene disposita, potest in hoc instanti incipere male disponi, et in contrarium determinari. Igitur, ex dispositione quæ in tempore immediate præcedente antecessit, non potest infallibiliter sequi auxilium efficax physice prædeterminans voluntatem ad credendum vel pœnitendum, vel ad similes actus.

Neque etiam in eodem instanti potest excogitari talis dispositio ordine naturæ præcedens. Primo quidem, quia non est prioritas naturæ ubi non est causalitas; nulla autem negatio esse potest causa auxilii efficacis; nam vel est negatio actus supernaturalis, et hæc non, tum quia hæc de se potius obest; tum etiam quia hæc multo magis invenitur in eo qui perseverat incredulus. Unde illa ad summum est conditio necessaria tanquam terminus a quo incipere debet actus contrarius, non tamen est causa nec dispositio ex qua talis actus infallibiliter sequatur. Vel illa negatio est alicujus actus mere naturalis, et hæc non potest esse causa supernaturalis auxilii, nec dispositio ob quam infallibiliter detur. Si enim actus bonus mere naturalis non potest esse dispositio ad auxilium gratiæ sufficientis, nedum efficacis, multo minus sola negatio actus naturalis, sive boni, sive mali, esse poterit similis dispositio ad auxilium efficax.

Secundo, quia si duo, vocati ad fidem, tempore et modo ita se habent, ut in eodem instanti temporis unus velit credere, alter nolit, non potest probabili ratione excogitari quod unus eorum prius natura prodierit in actum volendi quam alius in actum nolendi, vel e converso; quia nullum fundamentum talis prioritatis inter eos intercedit. Si ergo uterque consideretur prius natura quam eliciat suum actum, uterque est in æquali dispositione negativa, quia neuter intelligitur determinatus ad actum credendi, nec ad contrarium, imo neque ad aliquem actum, neque in aliquo homine vocato ad fidem potest in illa prioritate naturæ præintelligi aliud genus dispositionis negativæ; sed

ex hac non sequitur infallibiliter determinatio ad fidem, nam (ut in illis duobus hominibus declaratum est) unus cum illa negatione prævia determinatur posterius natura ad credendum, alter ad non credendum; ergo neutrum infallibiliter provenit ex illa dispositione negativa.

Et ratio est, quia illa dispositio negativa, quæ ordine naturæ præcedit ante determinationem voluntatis ad actum, non est libera, sed naturalis, et relinquit voluntatem in sua indifferentia ad hanc vel illam determinationem; post hanc autem negationem seu indifferentiam non intelligitur alia dispositio negativa libera voluntatis, nisi in posteriori signo naturæ, in quo intelligitur jam instans temporis consummatum, et in eo supponitur voluntas non elicere actum, quem posset. In illo igitur secundo signo naturæ aut intelligitur hæc negatio pura per solam suspensionem actus, et sic non poterit voluntas intelligi habens in eodem instanti actum positivum, neque auxilium efficax ad determinationem illius, quia illa pura negatio et suspensio formaliter excludit omnem actum; aut non est illa negatio pura per solam suspensionem, sed cum determinatione ad aliquem actum positivum, quam voluntas habet in illo secundo signo naturæ illius instantis, et tunc pro illo secundo signo nullus est ordo naturæ inter positivum actum et negationem aliorum actuum; vel certe si aliquis ordo est, potius positiva determinatio est natura prior, nam per illam determinatur voluntas ad libere carendum aliis actibus impossibilibus tali actui, ut in exemplo posito de duobus hominibus vocatis ad fidem, ille qui determinatur ad volendum non credere hoc ipso caret voluntate credendi, et non ideo vult non credere, quia non habet affectum credendi; posset enim carere utroque actu; sed quia vult non credere, ideo necessario caret affectu credendi, quia non potest simul habere utrumque actum. Et consimili ratione, qui vult credere, necessario caret affectu non credendi, quia repugnant; non tamen ideo recipit affectum credendi, quia caret affectu contrario; posset enim carere utroque; sed quia recipit affectum credendi, ideo caret affectu contrario; ergo nulla talis negatio potest præintelligi tanquam dispositio libera et necessaria, ac necessitans ad determinationem credendi, sed potius ut consequens ex tali affectu libero, et eadem ratio probat de quacumque alia negatione cujuscumque actus simul impossibilis cum affectu credendi.



Si autem fingatur negatio libera alterius actus naturalis, qui simul esse posset cum affectu credendi, illa, sive bona sive mala sit, est impertinens ad auxilium efficax ad credendum, quamvis nec sit ad illud necessaria, nec necessitans, ut per se patet; si vero sit mala, multo minus erit necessaria ad tale auxilium, et potius poterit impedire illud; tamen non necessario impedit, quia non habet formalem repugnantiam cum tali determinatione, et ideo, non obstante illa negatione, poterit voluntas determinari, vel a se cum auxilio Dei, vel a solo Deo, juxta aliam sententiam, quia, non obstante quacumque culpa, potest et solet Deus conferre auxilium gratiæ, maxime quando culpa disparata est, ut sic dicam, et non habet formalem repugnantiam cum tali auxilio. Igitur nullo probabili modo cogitari potest talis negatio, quæ sit dispositio sine qua non datur, et cum qua infallibiliter datur auxilium efficax.

*Quibus difficultatum labyrinthis se implicent adversarii.* — Tertio, introduci possunt hi auctores in aliud labyrinthum, a quo nullum possint exitum invenire. Nam ipsi tam necessariam putant esse determinationem a Deo per efficax auxilium, ut ad omnem actum voluntatis creatæ putent esse necessariam, servata proportione; id est si actus est supernaturalis, determinatio erit etiam supernaturaliter infusa, et auxilium erit gratuitum; si autem actus sit naturalis, determinatio erit naturalis. Unde fit ut, juxta eorum sententiam, sicut in omni actu voluntatis, proxima ratio operandi illum, est quia Deus determinat voluntatem ad illum, ita e converso, quando voluntas non vult aliquid, etiam adhibitis aliis requisitis ad operandum, prima ratio non habendi talem actum sit, quia Deus non determinat ad illum; nam si affirmatio est causa necessaria et adæquata affirmationis, negatio est similiter causa negationis. Cum ergo dicitur dari ex parte hominis dispositio negativa, ob quam Deus illi confert auxilium efficax, clarum est dispositionem illam non posse esse nisi carentiam alicujus actus, quem voluntas potest elicere, et libere non elicit, quia non potest alio modo esse negatio illa libera.

Non possumus ergo in illa dispositione sistere, sed ulterius interrogare quæ sit in tali voluntate radix et prima causa illius negativæ dispositionis. Nam profecto consequenter respondendum est, ideo voluntatem hanc non habere talem actum, quia Deus non determinavit eam ad illum; quia sine tali de-

terminatione non poterat illum habere nec inchoare, et talem determinationem habebat in sua potestate. Quod si ulterius requiratur cur Deus non dederit voluntati determinationem ad illum actum, non possumus recurrere ad aliam dispositionem priorem ejusdem voluntatis; nam procedemus deinde ad interrogandum de illa, et nunquam finiemus. Sistendum ergo erit in divina voluntate, quæ gratis voluit non dare libero arbitrio illam determinationem, qua negata necessario sequitur in ipso arbitrio illa dispositio negativa, unde e contrario, in eo qui non habet talem dispositionem negativam, sed potius actum illi oppositum, necesse est ut prima ratio carenti illa dispositione negativa sit sola voluntas Dei determinantis voluntatem creatam ad talem actum. Proxima enim et quasi formalis causa carenti illa dispositione, est quia voluntas elicit talem actum, prior vero ratio cur elicit est quia determinatur a Deo. Prima vero causa ob quam a Deo determinatur ad talem actum, est quia vult. Nec fingi potest alia prior dispositio libera ob quam a Deo sic determinetur ad talem actum impeditivum talis auxilii efficacis, quia iterum ibi procedemus sine termino. Igitur radicabiliter ex sola voluntate Dei nascitur, quod hic homo habeat talem dispositionem negativam; cumque illa dicatur esse necessaria ad auxilium efficax gratiæ obtinendum, manifestum est talem hominem destitui a Deo in necessariis ad salutem, sola Dei voluntate, et privari auxilio efficaci propter determinationem quam ipse vitare non potest.

*Ad quas angustias ex adversariorum doctrina redigatur nostra libertas.* — Ex quo discursu tam manifeste concluditur per hanc dispositionem negativam non salvari veram libertatem in determinationibus liberi arbitrii, ut non immerito inferre possimus ex hac doctrina redigi libertatem nostram ad has angustias, quæ occasionem præbeant hæreticis dicentibus esse rem de solo titulo. Probatur, quia ostensum est illam dispositionem negativam, in eo qui illam habet, necessario oriri ex carentia divinæ determinationis, quam Deus ex se et mera sua voluntate non imprimit; in eo vero qui illa caret, necessario sequi carentiam ex determinatione divina ad oppositum actum, quæ determinatio etiam non est in hominis potestate, sed solius Dei. Unde constat explicari nullo modo posse quomodo sit liber ad operandum, qui non habet determinationem a Deo, cum nulla possit in-

eo fingi dispositio libera, per quam talem determinationem consequatur. Quod si intelligi non potest quomodo sit liber ad operandum, multo minus intelligi potest quomodo habeat auxilium sufficiens ad talem operationem, ad quam nec determinatur, nec viam habet in sua libertate positam ad consequendam determinationem. Unde, neque in eo qui determinatur, intelligi poterit quomodo sit liber ad non operandum, cum non sit liber ad determinationem habendam, cum non pendeat ex libera ejus dispositione, ut ostensum est, et posita determinatione non habeat potestatem continendi actum, sed de hoc iterum sequentibus capitibus redibit sermo.

## CAPUT XIX.

AN, SALVA LIBERTATE, POSSIBILIS SIT PRÆDETERMINATIO PHYSICA ET MODUS PROVIDENTIE ERGA PRÆDESTINATOS, QUEM AUCTORES ILLIUS SENTENTIE DOCENT.

Quæ in tribus proxime præcedentibus capitulis tractata sunt, directe procedunt contra necessitatem physicæ prædeterminationis; non desunt tamen qui dicant, etiamsi necessaria non sit, nihilominus esse possibilem, et saltem in prædestinatis omnino esse ponendam. Fundamentum prioris partis est, quia pertinet ad omnipotentiam Dei et supremum dominium quod in humanam voluntatem habet, ut possit illam movere quantum et quomodo voluerit, atque adeo prædeterminare illam physice, ut libere consentiat. Alterius vero partis fundamentum est, tum quia movet Deus prædestinatos efficacissime quantum potest, quia in hoc gratiam suam ostendit; tum etiam ut certitudo prædestinationis sit ex sola Dei voluntate, et non aliunde, et ideo dixit Cabrera, *non reliquisse Deum in prædestinatis initium efficacis suæ conversionis in arbitrio eorum, sed tale initium sua divina voluntate efficaciter prævenire, et facere decrevisse.* Per initium autem efficacis conversionis, intelligit significatque illud initium nihil aliud esse quam ipsummet actum conversionis, ut prius natura inchoatum a solo Deo. Aliqui vero hoc extendunt ad omnes justos vel fideles, etiamsi reprobis tandem sint, quia saltem sunt prædestinati ad gratiam temporalem vel fidem, ad quod etiam est necessaria saltem prædefinitio talium actuum, quæ prædefinitio per physicam prædeterminationem executioni mandatur, et alio modo non potest esse infallibilis neque efficax, ut existimant.

*Talis prædeterminationis modus, quem docent auctores adversæ sententiæ, est impossibilis cum actuali libertate ejusdem actus, ad quem voluntas prædeterminatur.* — Dico vero imprimis talem prædeterminationis modum esse impossibilem cum actuali libertate ejusdem actus, ad quem voluntas prædeterminatur. Probatur ratione sæpe facta, quod illa determinatio recipitur in voluntate hominis, et ita, eam habere, videtur non esse liberum homini, sed necessarium, quia est mera receptio ad quam voluntas, non agendo, sed recipiendo, concurrat, nec est liberum influere in actum cum illa, quia post receptam determinationem non est in potestate voluntatis suspendere influxum suum; ergo nullo modo est liber talis influxus, nec actus ex illo; eo vel maxime quod illa determinatio dicitur esse ipsemet actus, ut a solo Deo inchoatus; posita autem tali inchoatione, tanta necessitate sequitur conversio, ut implicet contradictionem non consummari, quia impossibile est initium actus esse impressum voluntati, et voluntatem non elicere actum; ergo non manet libertas, nisi de solo titulo, id est oppositorum capacitas, non vero opposita necessitati; ergo libertas ipsius actus non potest stare cum simili prædeterminatione. Nec pertinet ad dominium vel omnipotentiam Dei hæc duo simul conjungere in eodem actu, quia non spectat ad divinam omnipotentiam duo contradictoria simul in eodem subjecto conjungere; talia autem sunt, eandem potentiam hic et nunc esse ab extrinseco et ex necessitate prædeterminatam ad exercitium talis actus, et manere indifferentem, ut libere talem actum non eliciat, si velit.

Respondent hoc esse verum, quando illa determinatio est ab intrinseca natura, non vero quando est ab intrinseco agente superiori. At hoc profecto non minuit, sed auget potius repugnantiam, primo, quia determinatio, ab extrinseco illata, contraria est naturali conditioni potentiæ liberæ, et ex hac parte non solum necessitatem, sed etiam violentiam vere induceret, et fortasse ob eam causam solent Patres dicere, Deum non prædeterminare voluntatem, quia illi non infert vim; tum etiam quia illa determinatio quæ est ab extrinseco, non est minor sed major necessitas quam illa quæ est naturalis. Nam illa quæ est ab intrinseco, ut in igne ad calefaciendum, est potentialis, ut sic dicam, quia talis potentia nata est sic operari, et non aliter; hæc vero, quæ ab extrinseco imprimi de-